



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

13. Martij. Nullum lignum aptius est excitando foco amoris Deo, quàm
lignum sanctæ crucis. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

habitare. Manresana specus aperit virtutis
 academiam, ubi magister crucifixus, cœ-
 lum, & terra liber, studium est meditatio.
 Hic, qui doctus est, verè sapiens est.

13. Martii.

*Nullum lignum aptius est excitando foco
 amoris Dei, quàm lignum sancta crucis.*

S. Ignat. apud Bart. l. 4.

Mirabilis artifex amor est, qui amati
 memoriâ, velut foco usus adversa
 vel mitigat, vel planè tollit, imò, quod ma-
 ximum ejus magisterium est, in dulcedi-
 nem commutat.

Ama, nec dura ulla senties; illi gemunt
 sub onere, qui nolentes ferunt; hi enim
 succutiunt onus, nec excutiunt. Totum
 pondus impatientia est.

Non vi cum adversa fortuna agendum,
 sed amore; majores huic, quàm fortunæ
 sævienti sunt vires. Ubi amatur, ibi non la-
 boratur. Facilè crucem bajulat, qui baju-
 lat, quod amat. Humerus, & robur patien-
 tiæ amor est.

Amor nostri crucem Christo levem
 fecit, Dei amor Christi crucem nobis
 tolerabilem faciet: Facilis est animi

duris in casibus fortitudo, non machina
non lacerto, imò nec voto eget; In nobis
sunt omnia; robur virtutis amor est.

14. Matrij.

Servitutis, aut quæ mihi ante oculos ponitur, mortis timorem in minimis pono, minus Numinis offendendi timor me coactet. S. Ignat. vitæ l. I. §. 24.

Nihil est sub sole malum, nisi peccatum; quia nihil est, quod non videtur Deo esse, præter peccatum, quod ita odit, ut si amare posset, Deus non esset. Odit illud necessariò, & odit æternùm. Mors, vitæ cula, egestas adeò mala non sunt, ut optabilia sint, tanquam optima; sunt Dei amanti dona, peccati remedia, gratiæ vinæ lucra, & quod caput est rei, divini amoris fomenta.

Quem absolvit conscientia, non est in orbe, quod timeat. Nemo miser esse potest, nisi suo facto: solum infortunium quod nobis accidere potest, nostrum opus est. Nulla in caput nostrum cudi tela aliena officina possunt.

Magnorum nulla non injuriâ atrox est; quid igitur erit, si Regum omnium Domini